

2431

/ Admodum Reverende Pater. Litteras Reverentiae Vestrae gallice scriptas non potui legere, nedum intelligere: et quidem cum essem Parisiis, et nihil fere haberem, quod agerem in longa illa obsidione, qua nos Rex Henricus Quartus premebat, conatus sum linguam gallicam perdiscere, sed nullo modo potui, propterea quod jam essem senio nimis propinquus: alioqui enim, cum essem junior Lovanii linguam Hebraicam, etiam sine magistro didici, et spatio unius hebdomadae docui unum ex nostris fratribus, ut facto ostenderem, a Sancto Hieronymo vere fuisse dictum, Blesillam Eustochii filiam didicisse linguam  
10 Hebraicam paucis, non mensibus, sed diebus. Rogo ergo Reverentiam Vestram, ut ad me latine scribat, ne cogar quaerere interpretem. Quod attinet ad studia mea, ea quamvis in palatio Pontificio degam, non sunt de negotiis publicis: nisi publica negotia appellare velimus, quaestiones de fide, de ritibus sacris, de intelligentia scripturarum, et aliis id genus controversiis, in quibus etiam antea extra palatium versabar. Sed si possem, libentissime me abderem in domo novitiorum, ut me ad mortem jam vicinam diligentissime compararem. Valeat Reverentia Vestra, et pro me Deum orare non obliviscatur. Romae die 6. Julii 1621.

---

20 Epist. fam. CLXXXIV.